

Lege diligentissime, deinde converte in linguam Bohemicam elegantissime

Atque antequam de incommodis Siciliae dico, pauca mihi videntur esse de provinciae dignitate, vetustate, utilitate dicenda. Nam cum omnium sociorum provinciarumque rationem diligenter habere debetis, tum praecipue Siciliae, iudices, plurimis iustissimisque de causis, primum quod omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam fidemque populi Romani adplicavit. Prima omnium, id quod ornamentum imperi est, provincia est appellata; prima docuit maiores nostros, quam praeclarum esset exteris gentibus imperare; sola fuit ea fide benivolentiaque erga populum Romanum, ut civitates eius insulae, quae semel in amicitiam nostram venissent, numquam postea deficerent, pleraeque autem et maxime inlustres in amicitia perpetuo manerent. Itaque maioribus nostris in Africam ex hac provincia gradus imperi factus est; neque enim tam facile opes Carthaginis tantae concidissent, nisi illud et rei frumentariae subsidium et receptaculum classibus nostris pateret. Quare P. Africanus Carthagine deleta Siculorum urbis signis monumentisque pulcherrimis exornavit, ut, quos victoria populi Romani maxime laetari arbitrabatur, apud eos monumenta victoriae plurima conlocaret. Denique ille ipse M. Marcellus, cuius in Sicilia virtutem hostes, misericordiam victi, fidem ceteri Siculi perspexerunt, non solum sociis in eo bello consuluit, verum etiam superatis hostibus temperavit.

Converte in linguam Latinam

1. Caesar na odchodu do Itálie legátům přikázal, aby se v zimě postarali o vybudování nových lodí.
2. Alexander si tak získal vojáky svou šlechetností, že nikdo neodmítal pro něj zemřít.
3. Je zřejmé, že by dělal chybu, kdyby to dělal.
- 4a. Celý úrodný Egypt by byl zahynul hladem, kdyby král nebyl rozkázal skladovat obilí po mnoho let.
- 4b. Četli jsme, že celý úrodný Egypt by byl zahynul hladem, kdyby král nebyl rozkázal skladovat obilí po mnoho let.
5. Žádám tě, abys uchoval naši památku, ne že bych pochyboval o tvé stálosti, ale protože je zvyk takto žádat.